

Zeitschrift: Divus Thomas

Band: 13 (1935)

Artikel: De auctoritate sacrae liturgiae in rebus fidei

Autor: Renaudin, Paulus

DOI: <https://doi.org/10.5169/seals-762575>

Nutzungsbedingungen

Die ETH-Bibliothek ist die Anbieterin der digitalisierten Zeitschriften auf E-Periodica. Sie besitzt keine Urheberrechte an den Zeitschriften und ist nicht verantwortlich für deren Inhalte. Die Rechte liegen in der Regel bei den Herausgebern beziehungsweise den externen Rechteinhabern. Das Veröffentlichen von Bildern in Print- und Online-Publikationen sowie auf Social Media-Kanälen oder Webseiten ist nur mit vorheriger Genehmigung der Rechteinhaber erlaubt. [Mehr erfahren](#)

Conditions d'utilisation

L'ETH Library est le fournisseur des revues numérisées. Elle ne détient aucun droit d'auteur sur les revues et n'est pas responsable de leur contenu. En règle générale, les droits sont détenus par les éditeurs ou les détenteurs de droits externes. La reproduction d'images dans des publications imprimées ou en ligne ainsi que sur des canaux de médias sociaux ou des sites web n'est autorisée qu'avec l'accord préalable des détenteurs des droits. [En savoir plus](#)

Terms of use

The ETH Library is the provider of the digitised journals. It does not own any copyrights to the journals and is not responsible for their content. The rights usually lie with the publishers or the external rights holders. Publishing images in print and online publications, as well as on social media channels or websites, is only permitted with the prior consent of the rights holders. [Find out more](#)

Download PDF: 10.08.2025

ETH-Bibliothek Zürich, E-Periodica, <https://www.e-periodica.ch>

De auctoritate sacrae liturgiae in rebus fidei.

Scripsit D. Paulus RENAUDIN O. S. B.

Inter varios modos quibus Ecclesia fidelibus supernaturalem doctrinam proponit, sacra liturgia praestantem locum tenet. Notissimum est effatum S. Caelestini I Papae quo velut firmissimo principio nituntur omnes orthodoxi theologi in tractandis rebus dogmaticis. Ait vero ille in epistola XXI ad Episcopos Galliae, cap. XI : « Obsecrationum quoque sacerdotalium sacramenta respiciamus, quae ab Apostolis tradita in toto mundo, atque in omni Ecclesia catholica uniformiter celebrantur, ut **legem credendi lex statuat supplicandi** ».¹ Quam regulam a Romano Pontifice introductam explanare oportet, ut vitetur omnis excessus aut veritatis diminutio.

I. Auctoritas doctrinalis liturgiae oritur ex eo quod est pars secundi loci theologici, scilicet: traditionis.

1. Ex verbo Dei scripto vel tradito tanquam e dupli fonte hauritur praedicatio Ecclesiae. Traditionis autem solemne testimonium praebet sacra liturgia, quae fidem pastorum et fidelium precibus necnon ritibus exprimit. « Quis nesciat, ait merito Zaccaria, nullam esse quaerendae in fidei rebus veritatis aptiorem viam, quam quae Ecclesiarum toto orbe existentium, ac Romanae praesertim de illis sententia fuerit, investigare? ... Falsa enim esse non potest, quam Romana, aut universa Ecclesia per orbem diffusa tradit, doctrina. Unde porro Ecclesiarum mens dignosci tutius possit, quam ex liturgiis, quae singularum, in quibus usurpantur, Ecclesiarum vocem ac testimonium quodammodo exhibent, atque episcoporum presbyterorumque, imo et plebis ipsius suffragia, leges, ritus, effata, dogmata palam faciunt? »² Tradidit vero ille cl. auctor pro delectu librorum liturgicorum in rebus dogmaticis

¹ Migne, P. L. t. L, col. 535.

² De usu libr. liturgic, in rebus dogmaticis, c. IV, ii.

eximios canones quos frequenter usurpant theologi et quorum primus hanc praecipuam veritatem enuntiat : « Consensio liturgiarum omnium cum Orientalium, tum Occidentalium, in aliquo dogmate, firmissimum est illius argumentum » ; quod sic probat : « consensio enim liturgiarum omnium Ecclesiae universae consensus est ; quemadmodum ergo falli universam Ecclesiam non posse constat, ita quae a liturgiis omnibus traduntur, erroris insimulare nefas est ». ¹ « Si quid propterea occurrerit omnium liturgiarum consensu firmatum, veluti Ecclesiae testimonium spectari debet ». ²

Alias praecellit liturgia Ecclesiae romanae, « nam, ut ait sanctus Irenaeus, ad hanc Ecclesiam propter potiorem principalitatem necesse est omnem convenire Ecclesiam, hoc est, eos qui sunt undique fideles, in qua semper ab his qui sunt undique, conservata est ea quae ab Apostolis est traditio ». ³ Quare Walafridus abbas : « Et Romani quidem, inquit, usum observationum a B. Petro principe Apostolorum accipientes, suis quique temporibus qua congrua judicata sunt, addiderunt. Quorum morem ideo in sacris rebus tam multae gentes imitantur, quia et tanti magisterii ex apice apostolico primordiis clarent, et nulla per orbem Ecclesia aequa ut Romana ab omni faece haereseon cunctis retro temporibus pura permansit ». ⁴ Unde tenere quod tenet Sedes apostolica vel Ecclesia romana est semper magni momenti aequa ac tenere quod tenet Ecclesia catholica, quia Ecclesia universalis, saltem implicite servat id quod, vi auctoratis suae, expressis verbis aut etiam implicite, jubet Sedes apostolica. Notandum vero quod, praeter judicia a Summo Pontifice formaliter prolata, Sedes apostolica et Ecclesia romana qua talis afferunt normam quamdam actualem quae veluti testimonium Sanctae Sedis habitualis doctrinae et catholicae traditionis infallibile habenda sit. Sequitur autem ex eo, quod Summi Pontifices, constanter et praecise, veritatem quamdam docent tanquam fidei cui assentiunt fideles, quam clerus agnoscit et praedicat, praesertim Cardinalium collegium quorum adjutorio administratur Ecclesia universalis. Imo hoc testimonium quaedam est regula omnibus fidelibus doctrinam indicans quam Romani Pontifices ab Ecclesia universalis volunt amplectendam et retinendam. ⁵

¹ Ibid. c. V, II.

² Perrone, Tract. de loc. theolog. P. II Sect. II, c. II, § 4, no. 443.

³ Adversus haereses, l. 3 c. 4, § 2.

⁴ Lib. de reb. Eccl. c. 22.

⁵ Scheeben, Dogmatique, I, no. 332 sqq.

Inde apparet, quanta valeat, de re dogmatica, mens Ecclesiae romanae in libris liturgicis manifestata. Liturgia enim, sicut traditio, cuius est pars praecipua, specialem habet auctoritatem in re doctrinali eo ipso quod in Ecclesia romana usurpatur. Non sufficit tamen, ut inscribantur libri liturgici « ad usum Ecclesiae romanae », sed certo constare debet illos ab Ecclesia romana revera usitatos fuisse aut saltem illius Ecclesiae ritus describere et doctrinam in illa servatam tradere.

2. Item infallibile testimonium affert concors et moraliter universalis praedicatio authenticorum testium, scilicet Episcoporum et doctorum vel sacerdotum qui ab eis munus docendi veritatem accipiunt, ex eo quod vox illa omnium Episcoporum, quae ut traditionis propria et ordinaria forma vel potius ut traditio ipsa habetur, est testimonium omnino catholicum, sive formaliter, totius Ecclesiae docentis, sive virtualiter, tanquam principium et mensura fidei. Unde non pendet a fidelibus qui fortasse veritatem nesciunt aut non profitentur, neque a sacerdotibus qui aliquando Episcopo non consentiunt in docendo. Imo est infallibile abstractione facta durationis, secundum Domini verbum : « Ego vobiscum sum omnibus diebus » licet, de facto, non possit existere aut dignosci in sua universalitate sine quadam duratione.¹

Si omnes episcopi eamdem tenent sententiam, certo veritatem docent ; probabiliter, si aliqui tantum convenient, aliis non contradicentibus.² Sane agitur de totalite morali, quam haberi dicit Cardinalis Perronius, « cum singularum nationum eminentissimi in alicujus rei assertione convenient, ita ut inter illos nemo qui semper orthodoxus, semperque orthodoxis adhaesit, dissentiat ».³ Illa autem ut certa traditur conditionaliter, « scilicet supposita supremae auctoritatis confirmatione sive concessa sive concedenda. Si ista confirmatio vel supponatur vel asseratur ab episcopis omnibus docentibus, tunc, ex ipso consensionis illius facto, certa evadit ».⁴

Ita sentit traditio catholica quam refert Báñez his verbis : « Imprimis ex Epistola Ephesini Concilii ad Nestorium, a quo exigitur, ut juret se sentire quae universi per Orientem et Occidentem episcopi

¹ Cf. Scheeben, Dogmatique, I, no. 328 sq.

² J. J. Berthier, Tract. de locis theol. Pars I, lib. II, no. 377.

³ Resp. ad Reg. Britt.

⁴ Berthier, loc. cit. no. 378.

principesque populorum crederent ac docerent. Quae epistola comprobata est a sexta Synodo, act. II.

« Item Augustinus, lib. XXVIII, cont. Faust., c. II et lib. XXXIII, cap. IX, ideo putat aliquem librum esse verum et canonicum, quia omnes episcopi succedentes Apostolis, illum receperunt : ergo illorum omnium auctoritas vera est.

« Item Hegesippus qui fuit vicinus temporibus Apostolorum, circa annum Domini 160, ut auctor est Eusebius, lib. IV, Hist. Eccles., cap. XXII, hac tantum via veram fidem diligenti investigatione quaesivit, consulens scilicet quid singuli et omnes episcopi doctoresque in fidei dogmatibus sentirent atque docerent.

« Item Irenaeus, lib. III, cap. III, et lib. IV, cap. XLIII et LXIII, sensum omnium doctorum et episcoporum putat sufficere ad ostendendum aliquam veritatem esse de fide : et qui eorum sensui refragatur, ait, sententiae Ecclesiae refragari. Et Cyprianus, lib. IV Epist., epist. IX, cum Ecclesiae sentit contradicere, qui episcoporum sententiae resistit. De quibus dixit Deus : Qui vos audit, me audit¹, etc. »

In libro secundo Contra Julianum, Pelagianorum contra originale peccatum argutias fusius convellit S. Augustinus auctoritate, episcoporum scilicet illustrium decem, necnon presbyteri Hieronymi. « Propter quam catholicam veritatem (existentia peccati originalis), inquit, sancti ac beati et in divinorum eloquiorum pertractatione clarissimi sacerdotes, Irenaeus, Cyprianus, Reticius, Olympius, Hilarius, Ambrosius, Gregorius, Innocentius, Johannes, Basilius, quibus addo presbyterum, velis nolis, Hieronymum, ut omittam eos qui nondum dormierunt, adversus vos proferunt de omnium hominum peccato originali obnoxia successione sententiam.² ... His eloquiis et tanta auctoritate sanctorum (episcoporum), profecto aut sanaberis Dei misericordia donante, quod quantum tibi optem, videt quid faciat ; aut si, quod abominor, in eadem quae tibi videtur sapientia, et est magna stultitia, perduraveris, non tu judices quaesitus es, ubi causam tuam purges ; sed ubi tot sanctos doctores egregios atque memorabiles catholicae veritates accuses, Irenaeum, Cypriani, Reticium, Olympium, Hilarium, Gregorium, Basilium, Ambrosium, Johannem, Innocentium, Hieronymum caeterosque socios ac particeps eorum, insuper et universam Christi Ecclesiam cui divinae familiae dominica cibaria fideliter ministrantes, ingenti in Domino gloria claruerunt ».³

¹ Bâñez, II-II q. 1 a. 10 ; Dub. 3 in fusori Commentario.

² P. L. t. 44, ccl. 697.

³ Id. col. 701.

Praeterea rationi consentaneum non esset errantiam omnium episcoporum affirmare: tunc enim tota Ecclesia erraret, cum plebs christiana pastorum doctrinam amplecti teneatur, secundum illud Matthaei, c. XXIII, 3: «*Omnia quaecumque dixerint vobis, servate et facite*». Aliunde quomodo possent omnes episcopi «unam eamdemque sententiam publice docere in Ecclesia, quin reclamet et damnet eam Summus Pontifex, si falsa et erronea fuerit, si nempe ut certa tradatur quae probabilis tantum fuerit; vel ut probabilis quae certa omnino fuerit aut omnino falsa; vel ut vera quae erronea extiterit? Secus namque et muneri suo deisset Pontifex, et errare posset tota Ecclesia. Unde si tacet Pontifex, cum loqui potest, signum est ipsum consentire atque idcirco episcopi habent Pontificem nisi explicite, saltem implicite consentientem. Ergo veritatem certo docent, ita ut, cum ut probabilem tradunt, doctrina eorum sit revera probabilis . . . , cum autem ut certam exhibent, sit reapse certa, et pertineat ad fidem catholicam vel definitam, vel definibilem».¹ Aliam addit rationem cl. Berthier: «Impossibile est tot tantosque viros, doctrina et virtute praestantes, locis distantes, in re tanti momenti, eadem sententia convenire, quin sit vera haec sententia, seu cum veritate infallibili conveniat, quia veritas sola eademque clare perspecta unitatem hujusmodi parere potest, ita ut omnes idem eodem modo asserant».²

De facto, testimonium illud episcoporum quod innotescit ex cleri doctrina et populi christiani fide, ita ut omnium Ecclesiarum etiam denominetur, argumentum certum afferre potest in rebus fidei. Exemplum habemus in definitione dogmatica Immaculatae Conceptionis, quando Pius IX omnium Ecclesiarum sententiam exquisivit.

Fidem vero Ecclesiarum ac proinde episcoporum praesertim testificantur liturgiae necnon conciliorum particularium decisiones circa cultum divinum, scilicet orationes, symbola, et ritus. «Unde³, ait Zaccaria, Ecclesiarum mens dignosci tutius possit, quam ex liturgiis, quae singularum, in quibus usurpantur, Ecclesiarum vocem ac testimonium quodammodo exhibent, atque episcoporum, presbyterorumque . . . suffragia, leges, ritus, effata, dogmata palam faciunt?» Jam Luciferianis objiciebat S. Hieronymus⁴: «An nescis, etiam Ecclesiarum hunc esse morem, ut baptizatis postea manus imponantur, et ita invo-

¹ Berthier, Tract. de locis theol. P. I, lib. II, no. 381.

² Id. loc. cit. no. 380.

³ Zaccaria, De usu libr. liturgic. in rebus fidei, c. IV II.

⁴ Dialog. advers. Luciferianos, c. 4.

cetur Spiritus Sanctus ? Exigis ubi scriptum sit ? In Actis Apostolorum. Etiamsi Scripturae auctoritas non subbesset, totius orbis in hac parte consensus instar praecepti obtinet ».

« Trullana quoque synodus SS. Basilii et Jacobi fratris Domini liturgiarum testimonia in medium attulit, ut Armenos, qui aquam e calicis vino abstulerant, coargueret ».¹ Quis non vidit istas liturgias particulares tanti valere quanti Ecclesiarum traditio dogmatica cuius praecipuam partem constituunt juxta principium superius allatum, et « quod omnium episcoporum assertum imprimis sit certum et irrefragabile propter connexionem certam cum doctrina supremi ejusdemque per se infallibilis magisterii ».²

3. Aliud existit traditionis testimonium cui sedulo attendere oportet in rebus dogmaticis, scilicet sensus fidelium qui in illorum credentia et religiosis usibus manifestatur, dummodo sit constans et universalis. Sane haec populi christiani persuasio Ecclesiae docentis voci respondet, ab illa originatur tanquam a traditionis praecone. Unde Ecclesiae docentis indefectibilitatem participat Ecclesia credens quae in re una eademque Christi familia efficitur. Ideo sub hoc respectu inter utramque nullam distinctionem ponunt Patres nec ipse S. Thomas in verba Domini : Ecce ego vobiscum sum : « Non cum illis solum dixit se futurum esse ; sed et cum omnibus qui post illos credunt : non enim usque ad consummationem saeculi Apostoli mansuri erant ; sed sicut uni corpori fidelibus loquitur ».³ Juremerito Spiritus Sancti testimonium immediatum et relative independens implicat sensus ille fidelium juxta S. Paulinum : « Ab omnium fidelium ore pendeamus, quia in omnem fidelem Spiritus Sanctus spirat ».⁴

Maxime considerandus est praesertim si, data occasione, majorem unitatem secum fert et determinationem quam Ecclesia docens, vel si, ut evenit tempore Arianismi, major pars docentium ab unitate catholica deficeret, aut etiam si Summus Pontifex de quavis doctrina sensum plebis christianaee investigaret, ut factum est ante dogmaticam definitionem Immaculatae Conceptionis B. M. V. Notandum est quod agitur tantum de veritatibus quae, juxta verbum S. Augustini, cognitionem non fugiunt popularem et quod nunquam ad plebem recurrit ut ad judicem. »⁵

¹ *Zaccaria*, op. cit. l. c.

² *Berthier*, op. cit. l. c. no. 381.

³ *Catena Aurea*, Matth. c. 28.

⁴ *Epistola*, IV.

⁵ *Scheeben*, Dogmatique, no. 234.

Ideo Ecclesia publico fidelium cultui et venerationi fidei mysteria proponit, quae ex credentium universalis ostensione certum testimonium accipiunt. Unde in bulla « Ineffabilis Deus » Pius IX ait : « Hanc doctrinam (Immaculatae Conceptionis) ab antiquissimis temporibus vigentem, ac fidelium animis penitus insitam, et sacrorum Antistitum curis studiisque per catholicum orbem mirifice propagatam, ipsa Ecclesia luculentissime significavit, cum ejusdem Virginis Conceptionem publico fidelium cultui ac venerationi proponere non dubitavit ».¹

Etenim Ecclesia depositum fidei servat et transmittit etiam orando, scilicet per liturgiam et devotiones quae, ut patet, nexus intimum habent cum doctrina supernaturali. « Discentis vero Ecclesiae fides, recte ait Bainvel, sensu catholico manifestatur qui sensus et ipse in fidelium precibus, devotionibus, canticis, multiplici agendi ratione elucet »², etiamsi in praeteritis temporibus veritas latens remanserit. Haec manifestatio sensus catholici in liturgia testimonium affert Spiritus Sancti, ejusdem pretii aestimandum ac si antea perpetuo claruisset, quia Ecclesia permanenter a Spiritu Sancto regitur et indefectibiliter edocetur. Igitur haec attestatio non novam revelationem nec inspectionem proprie dictam importat, sed tantum prolongationem divinae vocis olim prolatae quae adhuc in Ecclesia perseverat.³

Sedulo animadvertisendum quod haec superius dicta referre oportet ad solam rem dogmaticam, non ad facta mere historica. Impositio quidem cultus ad universalem Ecclesiam « non videtur semper importare veritatem facti mere historicam, cum potius videatur Ecclesia personam honorare quam hoc ipsum factum, de ipso cultu statuere quam de facto. Videndum est quis sit sensus Ecclesiae vel fidelium : quod aliquando non ita facile dignoscitur ».⁴ Attamen impositio illa cultus ad universalem Ecclesiam importat aliquando facti veritatem, si res sit dogmatica, ut in Immaculata Conceptione, in Assumptione.⁵

Unde apparet « maximi faciendam esse auctoritatem sacrae liturgiae, eamque habendam uti testem omni exceptione majorem Traditionis et Ecclesiae fidei. Is solus inficias iverit qui non adverterit, in illa Ecclesiarum omnium, praesertim romanae, exhiberi vocem ac testi-

¹ Bulla « Ineffabilis Deus ».

² Bainvel, *De magisterio vivo et traditione*, no. 97.

³ Scheeben, *Dogmatique*, no. 318.

⁴ Bainvel, *op. cit.* no. 107.

⁵ *id. op. cit.* no. 107.

monium Episcoporum, Presbyterorum, et plebis ipsius suffragia leges, ritus, effata, dogmata ».¹

Ex principiis allatis quanti sit auctoritas liturgiarum in rebus dogmaticis nemo non videt : quae totius Ecclesiae testimonium practicum de rebus fidei exhibent : Legem enim credendi lex statuit supplicandi.²

II. Confirmatur ab extrinseco auctoritas doctrinalis liturgiae.

Hucusque liturgiam in serie locorum theologicorum consideravimus ut praecipuam partem traditionis ecclesiasticae et ejus dogmaticam auctoritatem declaravimus. Nunc ab extrinseco confirmationes quasdam proferemus de praestantia liturgiae respectu doctrinae supernaturalis.

i. Et primo attendere oportet ad eximiam curam quam Ecclesia semper adhibuit, « ne quid fraude vel ignorantia in liturgiam irriperet mysteriorum sanctitati, doctrinaeque veritati contrarium ».³ Quod patet ex variis et antiquis monumentis, ut videre est in Concilio Laodicensi (343-381) : « Non oportet ab idiotis psalmos compositos et vulgares in Ecclesiis dici ... nihil a plebe editum legatur in Ecclesia » (can. 59).⁴ In canone 21, Concilium Hipponense (393) statuit : « Nemo in precibus vel Patrem pro Filio, vel Filium pro Patre nominet, et quum altari assistitur, semper ad Patrem dirigatur oratio. Et quicumque preces aliunde describit, non eis utatur, nisi prius eas cum instruc-
tioribus fratribus contulerit ».⁵ In epistola ad Decentium. S. Innocentius I Papa de usibus liturgicis ait : « Quis nesciat aut non advertat id quod a principe Apostolorum Petro Romanae Ecclesiae traditum est, ac nunc usque custoditur, ab omnibus debere servari ; nec superduci aut introduci aliquid, quod auctoritatem non habeat, aut aliunde accipere videatur exemplum ? prae-
sertim cum sit manifestum in omnem Italiam, Gallias, Hispanias, Africam atque Siciliam, et insulas interjacentes, nullum instituisse Ecclesias, nisi eos quos venerabilis Apostolus Petrus aut ejus successores constituerunt sacer-
dotes ».⁶ Praeterea, Synodo Milevitano (402), legitur : « Placuit etiam

¹ Zaccaria, Dissert. de liturgiarum usu in reb. dogm. c. 4.

² Pesch, De Sacramentis, p. 317.

³ Zaccaria, op. cit. c. IV, no. 4.

⁴ Mansi, Concil. t. II, col. 590.

⁵ Vacant-Mangenot, Dict. theol. cath. art. : Liturgie 2, Collect. canon. Eccl. Hispan. Madrid 1908, col. 963.

⁶ P. L. t. XX, col. 551 sq.

et illud, ut preces vel orationes, seu missae probatae fuerint in concilio sive praefationes, sive commendationes seu manus impositiones ab omnibus celebrentur nec aliae omnino contra fidem preeferantur, sed quaecumque a prudentioribus fuerint collecta dicantur » (can. 103).¹ Et antea similiter Concilium Carthaginense II (397, can 23). Item Vigilii Papae epistola ad Profuturum, Bracarensem episcopum (538), Summorum Pontificum curam demonstrat ad unitatem liturgiae obtinendam : « Quoties paschatis aut ascensionis Domini, vel pentecostes et epiphaniae, sanctorumque Dei fuerit agenda festivitas, singula capitula diebus apta subjungimus, quibus commemorationem sanctae solemnitatis aut eorum facimus, quorum natalitia celebramus ; caetera vero ordine consueto prosequimur. Quapropter et ipsius canonicae precis textum direximus subter adjectum, quem Deo propitio ex apostolica traditione suscepimus ».² Et, ne falsitates ut fabulae in liturgicos libros irreperent, jubet Trullana synodus (692) ut comburantur « quae a veritatis hostibus falso confictae sunt martyrum historiae, ut Dei martyres ignominia afficerent, et qui eas audituri essent ad infidelitatem dederent ; in ecclesia non publicari jubemus, sed eas igni tradi, qui eas admittunt, anathematizamus » (can. 63).³ Sanctus Caesarius Areلاتensis († 544) homilias Patrum collegit, « ut nihil nisi pietati conciliandae aptum in ecclesia legeretur ».⁴ Additur Concilium Bracarense III (573) : « Placuit ut, per singulas Ecclesias, episcopi per dioceses ambulantes primum discutiant clericos, quomodo ordinem baptismi teneant, vel Missarum, et qualiter quaecumque officia in Ecclesia peragantur ».⁵

Inter alia plurima, haec tantum attulimus, quibus manifestatur continua Ecclesiae sollicitudo ad servandam, in liturgiae textibus, omnimodam veritatis integritatem.

2. Liturgiae praestantia non solum ex cura Ecclesiae appareat, sed magis ex illius frequentiori et solemnni usu quo Patres et Concilia, praesertim in prioribus saeculis, veritates revelatas exponunt aut contra haereticos propugnant. Ad erudiendos christifideles et ad tradendum eis fidei certam firmamque regulam, primaeva Ecclesia praecipua dogmata in orationibus liturgicis infixa esse voluit, quae symbola fidei

¹ Id. §. *Mansi*, Concil. t. 3, col. 807 : Codex. can. Eccl. Afric. Madrid 1908, col. 185.

² Coll. can. Eccl. Hispan. p. 155.

³ *Mansi*, Concil. t. XI, col. 971.

⁴ Vita. l. I, c. 31.

⁵ *Mansi*, Concil. t. IX, col. 838. Cf. etiam Zaccaria, De usu liturgic. c. IV. ad 4.

nuncupantur. Sic originatur Symbolum sic dictum Apostolorum ex ritu administrationis baptismi in quo fidem profiteri tenebatur catechumenus ante susceptionem sacramenti. Item usurpari caepit Symbolum Epiphanii, quod baptizandis praecipiebatur in Oriente adversus haereses illius temporis (III. S.). Notissimum est Symbolum Nicaeno-Constantinopolitanum, quod, apud Orientales immediate, post Concilium Chalcedonense (451), et serius apud Occidentales in usum liturgicum transiit ad arcendos errores circa personam Christi. Ut appareat ex liturgia gallicana (V. S.), mos fuit, in hujus Symboli forma divinis officiis adaptata, particulam « Filioque » addere, quae tardius, scilicet tempore Benedicti VIII, in missam romanam introducta fuit. Professio quoque Pii IV, in quantum ad presbyterorum et episcoporum ordinationem exigitur, sicut Symbolum Apostolorum ad baptismum, liturgicum documentum esse videtur.

Quaedam dogmata ab haereticis magis impugnata frequentius in publicis Ecclesiae precibus memorantur, ut christiani firmiter illa teneant. Ita, adversus Arianos Trium divinarum Personarum aequalitatem negantes, additae sunt in fine Psalmorum et in plerisque orationibus doxologiae : Gloria Patri, et caeterae hujusmodi veram doctrinam solemnius proclamantes.

3. Insuper, contra haereticorum negationes et in disputationibus de doctrina christiana, liturgiae preces adhibentur tanquam firmissimum Ecclesiae fidei testimonium. S. Augustinus perpetuo contra Pelagianos et Semipelagianos argumentum ex liturgia desumptum urget. Audimus eum adversus Vitalem : « Exsere contra orationes Ecclesiae disputationes tuas, et quando audis sacerdotem Dei ad altare exhortantem populum Dei orare pro incredulis, ut eos convertat ad fidem, et pro catechumenis, ut eis desiderium regenerationis inspiret, et pro fidelibus, ut in eo quod esse caeperunt ejus munere perseverent, subsanna pias voces, et dic te non facere quod hortatur . . . ».¹ Idem S. Doctor increpat Pelagianos : « Utinam tardi corde et infirmi, qui non possunt Scripturas, vel eorum expositiones intelligere, sic audirent, vel non audirent in haec quaestione disputationes nostras, ut magis intuerentur orationes suas, quas semper habuit Ecclesia . . . ».² Praeclara est S. Caelestini I Papae sententia in epistola ad Episcopos Galliae superius citata contra eamdem : « Obsecrationum quoque sacerdotalium sacramenta respicia-

¹ P. L. t. XXXIII, col. 978.

² De bono perseverantiae. P. L. t. 45, col. 1031.

mus, quae ab Apostolis tradita in toto mundo, atque in omni Ecclesia catholica uniformiter celebrantur, ut legem credendi lex statuat supplandi. Quum enim sanctarum plebium praesules mandata sibimet legatione fungantur, apud divinam clementiam humani generis agunt causam, et tota Ecclesia secum congemiscente, postulant et precantur, ut infidelibus donetur fides, ut idololatram ab impietatis suae liberentur erroribus »¹, et inferius : « Illud etiam, quod circa baptizandos in universo mundo sancta Ecclesia uniformiter agit, non otioso contemplamur intuitu. Quum sive parvuli, sive juvenes ad regenerationis veniunt sacramentum, non prius fontem vitae adeunt, quam exorcismis et exsufflationibus clericorum spiritus ab eis immundus abigatur ; ut tunc vere appareat, quomodo princeps mundi hujus mittatur 'foras ». ² Synodus quoque Trullana ex liturgiis S. Basilii et Jacobi fratris Domini Armenos redarguit qui aquam e calicis vino abstulerant. ³

4. Non solum dogmata in symbolis praecitatis enuntiantur in liturgiis officiis, sed etiam pleraque alia quae ad christianam fidem pertinent. Ideo ait Perrone : « Vix aliquod fidei dogma est ex eis, quae catholica profitetur Ecclesia, quod illae non attestantur ». ⁴ Sic affirmantur, inter caetera :

Sanctissima Trinitas : in Missali gothico, tom. 6. Thom. Oper. p. 243 ; in Missali Gallicano vetere, ib. p. 281.

Verbi divinitas, adversus Arianos Socinianosque : in Sacramentario Leonino, Murat. edit. col. 476 ; in Sacr. Gelasiano, Thom. edit. p. 4, 47, 106, 232 etc. ; in Missali gallic. vet. Thom. edit. p. 377.

Spiritus S^{tu} divinitas, contra Macedonios : in Sacr. Gelas. p. 46 ; in libello Orationum Gothico-hispano, p. 117.

Christus, verus Deus et homo : in Leon. Sacr. col. 314, 469 ; in lib. Orat. Goth.-hisp. p. 37, 64, 98.

Christum habuisse verum corpus : in lib. Orat. Goth.-hisp. p. 1, 3.

Deiparae Mariae virginitas : in Sacr. Leon. col. 473 ; in Sacr. Gel. p. 9, 11 ; in Missali goth. p. 235, 255 ; in lib. Goth.-hisp. p. 24, 35.

Primatus S. Petri : in Sacr. Leoniano, col. 331, 341, 344 ; in lib. Orat. Goth.-hisp. p. 124-5.

Primatus Romani Pontificis : in Sacr. Leoniano, col. 333, 337, 341, 430 ; in Miss. Goth. p. 315.

Ecclesia erroris expers : in Sacr. Leon. col. 330, 332, 334.

¹ P. L. t. L, col. 535.

² Id.

³ Cf. *Bona, Rerum liturg. I. I, c. 7, § 3.*

⁴ Tract. de locis theol. P. II, Sect. II, c. 2, § 4.

Presbyteri episcopis dignitate inferiores : in Sacr. Gelas. p. 22 ; in Miss. Francorum, p. 346.

Gratia ad salutaria opera, imo et ad bonam voluntatem contra Pelagianos, Semipelagianos necessaria : in Sacr. Leon. col. 293, 360, 362, 367, 370, 440.

Originale peccatum : in Sacr. Leon. col. 315 ; in lib. Orat. Goth.-hisp. p. 127.

Sacrificium incruentum Missae : in Missali Goth. p. 333-35 ; in Miss. Franc. p. 365 ; in Miss. Gall. p. 388.

Realis in Eucharistia corporis et sanguinis Dominici praesentia : in Miss. Goth. p. 338.

Transsubstantiatio eucharistica : in Miss. Goth. p. 246, 251, 256 ; in Miss. Franc. p. 347 ; in Sacr. Gelas. p. 23.

Purgatorium : in Miss. Goth. p. 250, 260-68, 319.

Cultus et invocatio Sanctorum : in Sacr. Leon. col. 293, 296, 388 ; in Sacr. Gelas. col. 7 ; in Miss. Goth. p. 242, 238, 257 ; in Miss. Franc. p. 359, 358 ; in lib. Orat. Goth.-hisp. p. 39, 48, 128.

5. Demonstratur quoque liturgiae praestantia ex nisibus haereticorum ad corrumpendos textus ecclesiastici cultus : « Sectariorum hoc proprium fuit, ait Card. Bona, ut, cum a fide deficerent, libros quoque rituales vel suis erroribus inficerent, vel privata auctoritate immutarent. Quid ausi sint in hoc genere gnostici, adamitae, peputiani, et alia hujusmodi monstra, turpe est enarrare ». ¹ Cui consonat Perrone : « Exploratum est veteres haereticos Nestorianos, Eutychianos, aliasque sectarios in articulis, in quibus ab Ecclesia catholica dissentiebant, liturgiam corrupisse ac interpolasse, eam accommodantes erroribus suis ; quo factum est, ut in reprehensionem ob hujusmodi nefarium ausum apud veteres incurrerint ». ² S. Cyprianus haereticos et schismaticos sui temporis arguit eo quod aliam liturgiam introducerent ad suos errores facilius insinuandos : « Constituere audent aliud altare, precem alteram illicitis verbis facere ». ³ Paulus Samosatanus, ut divinitatem Jesu Christi arceret, hymnos christologicos liturgiae amovit et alios a seipso concinnatos usurpari praecepit. ⁴ Eutychiani Commixtionem in Missa adulterant, quae duas in Christo naturas significat ; imo Armeni guttam aquae in calicem immittere negligunt. Nestoriani

¹ Rer. liturg. I, vii, 2.

² Op. cit. p. 507, n.

³ De unitate Ecclesiae, p. 83.

⁴ Eusebius, Hist. Eccl. VII 30. P. G. t. XX, col. 713.

vero, orthodoxiam servare contendentes, nullam additionem aut mutationem a saeculo quinto admittere statuerunt.

Patet ergo haereticos erroribus suis viam aperuisse, sive liturgiae obstaculum arcendo, sive illam ad se trahendo, sive novas fidei professiones a variis conciliis introductas repellendo, et sic ostendisse quanti valeat liturgiae auctoritas in rebus dogmaticis.

6. Ex constanti et universali traditione in Sacramentorum administratione cum ritibus comitantibus erui licet testimonium pro auctoritate doctrinali caeterorum textuum ad cultum publicum pertinentium. Etenim, Ecclesia, decretis Conciliorum et aliter, vetuit ritus in administratione Sacramentorum necnon in caeremoniis Missae contemni, omitti aut mutari, ut abundanter patet, inter multa, ex Conciliis Constantiensi (1414-18) et Tridentino (1545-63).¹ Cum ita sit, nullus catholice sentiens dubitare potest, quin Ecclesia eamdem et omnimode continuam vigilantiam in precibus sicut et in ritibus sacramentalibus adhibuerit. Eadem ratione, ex liturgicis precibus, contra varios haereticos trahi potest argumentum simile ad catholicam veritatem tuendam, sicut sancti Patres et auctores ecclesiastici ex sacramentorum ritibus fidei hostes impugnaverunt.

7. Deinde quanta sit in re dogmatica gravitas liturgiae, apparet ex documentis Summorum Pontificum, bullis et decretis, in quibus festivitates et preces ut verae manifestationes fidei repraesentantur. Praecipuum exemplum tenemus in bulla Pii IX: «Ineffabilis Deus» quae pluries in liturgia doctrinam Immaculatae Conceptionis jam exhiberi praedicat. «Hanc doctrinam ab antiquissimis temporibus vigentem ac fidelium animis penitus insitam, et sacrorum Antistitum curis studiisque per catholicum orbem mirifice propagatam, ipsa Ecclesia luculentissime significavit, cum ejusdem Virginis Conceptionem publico fidelium cultui ac venerationi proponere non dubitavit. Quo illustri quidem facto ipsius Virginis Conceptionem veluti singularem, miram et a reliquorum hominum primordiis longissime secretam et omnino sanctam colendam exhibuit, cum Ecclesia non nisi de Sanctis dies festos concelebret». — «Ipsissima verba, quibus divinae Scripturae de increata Sapientia loquuntur, ejusque sempiternas origines repraesentant, consuevit (Ecclesia) tum in ecclesiasticis officiis, tum in sacrosancta liturgia adhibere et ad illius Virginis primordia transferre, quae uno eodemque decreto cum divinae Sapientiae incarnatione fuerant praestituta. . . . Romana

¹ Cf. *Denz.-Bannw.*, Enchiridion Symb.: Index. system. XI. Ritus Ecclesiae.

Ecclesia nihil potius habuit quam eloquentissimis quibusque modis Immaculatam Virginis Conceptionem, ejusque cultum et doctrinam asserere, tueri, promovere et vindicare ». In eadem bulla liturgiam doctrinae praeconem esse demonstratur his verbis : « Doctrinam qua Immaculatam Virginis Conceptionem profitemur, esse suoque merito haberi cum ecclesiastico cultu plane consonam, eamque veterem ac prope universalem et ejusmodi, quam Romana Ecclesia sibi fovendam tuendamque suscepit, atque omnino dignam quae in sacra ipsa liturgia solemnioribusque precibus usurparetur.

Ex his patet etiam ante definitionem a Summo Pontifice proclamatam, Immaculatae Conceptionis B. M. V. certitudinem ex liturgiae praxi clarescere et indubitanter confirmari.

In Assumptione B. M. V., licet nondum sit solemniter definita, aliud exemplum firmius ac magis demonstrativum offertur. Etenim, in honorem Assumptionis corporalis B. M. V., jam pluribus saeculis ante festum Immaculatae Conceptionis, dies solemnis agebatur qui vetustiorem traditionem exhibebat jam in saeculo sexto. Ita legitur in libro Sacramentorum sancti Gregorii Magni. « Veneranda nobis, Domine, hujus est diei festivitas, in qua sancta Dei Genitrix mortem subiit temporalem, nec tamen mortis nexibus deprimi potuit, quae Filium tuum Dominum nostrum de se genuit incarnatum. Qui tecum vivit et regnat, Deus . . . ».

Sedulo notandum quod si, ut ait Pius IX : « quae ad cultum pertinent, intimo plane vinculo cum ejusdem objecto conserta sunt, neque rata et fixa manere possunt, si illud anceps sit et in ambiguo versetur », praebet liturgia pro Assumptione certam traditionem antiquiorem universaliorumque quam pro Immaculata Conceptione et a nullo theologo impugnatam, ita ut nemo de Assumptione liturgicum testimonium rejicere possit.
